

PAULUS SCALICHIUS DE LIKA

Eulogus seu de anima separata eiusque passione

Enthusiasmus: Cogitanti mihi, Täge iucundissime, de admirabili hac mundi fabrica, in qua omnia certa proportione ac debito ordine adeo constant, ut nil aut addi aut demi iuste possit. (Si enim spectes ipsius substantiam inter corpora nil simplicius deprehendes, si qualitatem, pulchrius nil effingi potest astris, quibus velut gemmis lucidissimis, circumquaque ornatum est, si quantitatem περιφερεία ipsius omnium corporum dimensiones complecteris, si ad aliquid, perfectius haud quicquam in natura corporea habebis, quae omnes respectus in seipsa includit inque loco est non ut in alio, sed ut in partibus suis permanens continuo ac perpetuo motu praedita, quo haec inferiora animat, vivificat, regit atque gubernat ac omnes sphaeras ad sui similitudinem veluti ministras trahit suoque influxu omnia penetrat, singulis pro sua natura singulas virtutes confert, lumine suo cuncta irradiat, fovet atque alit; incorruptibilis quoque est omnis interim generationis et corruptionis causa.) De his, inquam, omnibus dum altiorem contemplationem instituo, occurrit mihi quaestio. Quamobrem composito cuidam corpusculo, ipsi nempe homini, generationi et corruptioni obnoxio ac mea quidem sententia longe imperfectiori, haec universi pulcherrima machina subiciatur et propter eum quicquid caeli terraeque ambitu continetur, creatum sit. Itaque, Täge amantissime, si placet, praebeas te huius divini furoris ducem.

Tagus: Optatus mehercle venisti. In eodem enim scopo versor ac idipsum praemanibus habeo, nec possum non arbitrari utrumque nostrum divino percitum furore. Pergamus ergo ac primum inter nos tractemus propositum, sin minus processerit ad symposium tandem sapientum confugiamus. Proponis, ni fallor, difficultatem, qui fiat,

quod ista mundi machina, tot et tantis insignita atque decorata facultatibus, corpusculo humano et corruptibili subiecta sit, cum aperte videamus ipsum ab ea pendere, ut philosophus docet. Sol enim, inquit, et homo generant hominem, sed non est quod in ea res sis anxie sollicitus. Non enim subicitur haec mundi fabrica corpori huic corruptibili, sed corpori potius incorruptibili, quod apud vetustissimos Hebraeorum et Chaldaeorum magistros *toferet* [?] media nocte copulatum nuncupatur. Antequam enim Adam praevaricatus fuisset, primo Adam in medio paradisi constituto, nulli corruptioni obnoxio similis fuit. At post praevaricationem ea pars compositi iam praevaricata, corruptioni successive tradita est, quae in scientia boni et mali consistit. Ea vero pars quae in scientia veri et falsi versatur, incorruptibilis mansit, qua mediante casus alterius partis restaurari posset. Huic ergo scias omnia esse subiecta.

Enthusiasmus: Non possum non me ipsum tibi plane dedicare. Dixisti enim, quae olim apud complures legi, sed sub obscuris recedentium sensuum indicis et nunc primum intellexi. Porro, si placet hoc mysterium revelare, oro ne dedigneris plura detegere, nisi enim feceris, dabis locum pluribus conviciis et obrectatoribus, immo forte summi sacerdotes re non bene intellecta, de te haud sanam opinionem concipient. Dicis enim, quod relicta sit altera pars incorruptibilis, qua mediante casus hominis restauraretur. Si intelligis animam hominis, videris mihi errorem committere. Alius enim est mediator salutis, nempe Christus Dominus noster, quem totus orbis Christianorum colit ac confitetur. Si vero aliud quippiam insinuare velis, nescio, qua ratione partem hominis afferas.

Tagus: Mi Enthusiasme, habes sane in quo non parum dubitare possis, si rem sine discursu volvas. At si rem vel paulo penitius introspicias, non te quicquam movebit. Et me enim scias eiusdem esse religionis cultorem et eam antequam vel in minimo offendere velim, mallet in frustra minutissima concidi. Tu ergo ausculta eam partem, quae incorruptibilis mansit, esse, qua mediante casus hominis restaurari debeat. Sic enim non omnes receperisse Christi doctrinam et qui receperunt utique per animam receperunt. Quo fit, ut Christum mediatorem inter nos et Patrem aeternum, inter corpus vero et Christum, animam dicere possimus hanc quo ad receptionem fidei, qua

salutem consequimur illum, quo ad redemptionem. Hic enim solus sustulit peccata mundi.

Enthusiasmus: Iam plene intellexi animi tui sententiam atque inde tibi nunc omnino adhaereo. Certum enim est corpus ipsum ab anima regi et vitam temporalem habere. Quare non est dubitandum, quin ab eadem subiective vitam aeternam spectet utrunque vero originaliter et finaliter ab eo, cuius est et corpus et animam condere. Haec enim sola continet imaginem Dei. Sed non est in ea parte amplius immorandum, nascitur enim denuo ex praesenti concertatione sub obscura admodum quaestio: an ea pars hominis, quam incorruptibilem aiebas, possit separari.

Tagus: Enthusiasme, vere divinus mihi videris furor, quaeris apposite et furis utiliter. Pendet enim immediate quaestio et plurimorum conculcat sapientiam, potissimum vero Epicureorum, qui pecudis et hominis idem bonum statuunt, teste Cicerone 1. *Disputatio academica*.¹ An ergo separari possint pars incorruptibilis et corruptibilis manifestum est. Si etenim non possent separari, essent eiusdem naturae, sed non sunt, quia ex diametro opponuntur, possunt igitur separari.

Enthusiasmus: Huiusque tua institutione mirum in modum afficior. Perge quaeso ac edissere dubium, quod ex ista quaestione oritur: an ea pars iam separata sit alicui passioni obnoxia, cum et in corpore pati videatur.

Tagus: Video animum tuum heroicum ad res graves et arduas natum, qui arcana adeo mysteria eruere conaris. Hinc non video consentaneum, ut in re tanti momenti nos duo soli occupemur, sed esset consulto faciendum symposium sapientum, ubi omnia quae tuus tibi dictaverit animus et tutius et liberius tractari possent.

* * *

Tagus: Ha ha he, non possum non ridere profecto ex coniunctione ne tu hominem iudicas? Esto, omisit, an ideo erravit? Certe doleo, quod nunc repuerescas. Sane vero bene egisti, quod mihi id ipsum in memoriam revocaveris, multorum enim depravatae

opinionem respondebo. Non cuius homini contigit adire Corinthum nec quibusvis datur eius libelli intellectus. Hoc, pro dolor, quasi inolevit istis Sorbonicis Atlantibus, ut quaerant, quod reprehendant, cum meliora dare non possint; ac si minus intelligant, ubi aperte temerarii esse non valent, temeritati tamen suae consulunt; postpositoque sensu, quem discere pudet, ad vobulas pergunt et grammatellos agunt. Sed quid aggressi sunt reprehendere, an coniunctionem? Et? Audivi ex quodam meo amico, qui ad eum detulerat hanc vulgi et quorundam qui sibi sapere videntur opinionem. Ille vero ridens respondit inquam: »Ego tetrastichon in invidum omnibus significavi, ne temere quicquam reprehendant, sed dubia si quae habent, cum praesens sim, nec intra parietes latitem mihi proponant idque sive publice sive privatim. Conabor enim pro meo captu respondere, sed ad istam imperiti vulgi obtrectationem nil respondeo, doctis autem illis dico bene esse positum. Occulta occultorum occulta sine coniunctione et imo, oppositum non conveniret et ratio est. Hic enim ultimum illud nomen occulta positum est pro abscondita, quasi dicerem occulta occultorum occulta seu abscondita aut velata. Ea enim occulta, quae hoc tempore sunt apud omnes occulta et ego occultavi, quo fit, ut scripserim occulta occultorum occulta hoc est, per me quoque occultata, quod etiam facile vel quivis idiota elicere potuisset, si a primo saltem limine salutasset proemium eiusdem libelli ordior enim: movit me sagax maiestatis tuae et profunda rerum inquisitio et caetera, ut arcana arcanorum arcana quadam methodo recenserem. Sed hoc quid aliud est, quam ut occulta occultorum occulta quadam methodo recenserem? Licet isti obiciant secundi capitis distinctionem, ibi enim dico, alia esse occulta, alia occultorum occulta, quasi me proprio iugulent gladio. Ego vero ad istam quoque obiectionem respondeo secundum nempe caput non esse de substantia occultorum seu illius libelli, sed directorium quoddam vel modum procedendi, quo volvi docere ea, quae sunt occultorum occulta, quoniam sunt velamine tecta. Exposita enim sunt per me omnia, sed recondita una maxima, quae non est declarata. Ideo in eo capite doceo, unde nam illud occultum velamentum sit desumptum, non autem enumero talia velamenta, quemadmodum occulta occultorum. Haec itaque si mei calumniatores bene perpendissent sensui potius quam vocibus inixi procul

dubio siluissent. Solent enim fieri, ut quemadmodum canes ignotos allatrant, sic isti, quae non intelligunt, damnant.

* * *

Enthusiasmus: Optime actum. Ego interim contemplatus sum, quibus Eulogum excipiam, non puerilia, mihi crede, proponam, quae si diluet, erit alter Apollo, sed adventantes video. Gratus est mihi vester omnium adventus Aeschyntile, Ariste et tu Euloge, quem etiam huic nostro symposio interesse cupiebam. Institui enim caenam philosophicam, qua simul cum corpore et animum pascamus more therapeutarum et gymnosophistarum, quare assideatis oro et sumite cibaria; ego interea quendam animi mei scrupulum in medium adseram. Dum cum Tago de universa hac mundi machina sermocineremur, devenimus et ad hominem, cur ei subiciatur iste et an separari possit altera suae compositionis pars eaque singula accepimus. Sed nata est quaestio, utrum anima separata sit passioni subiecta, quam cum ipsi attentare ausi non fuerimus, vestro symposio indignimus ac oramus, dignemini hanc quaestionem tractare.

Aeschyntilus: Certe magna incumbit difficultas, nec arbitror, quod modo philosophico possint assignari rationes in affirmativam partem. Quare meo quidem iudicio dicerem eam non esse passibilem, quia non est corpus.

Enthusiasmus: Quid vero tu sentias, o Euloge, dicas oro.

Eulogus: Malo tacere, quam loqui. Huius enim aliquando poenituit, illius nunquam, utinam vero hactenus abstinuissem apud istos praesertim, siquidem nil aliud quam odium et invidiam multorum mihi hac ratione conciliaui. Quare praestat tacere, quam loqui.

Aristus: Heus Euloge, ex auditu nascitur fides, qua propter dicas, quod sentis, libere.

Enthusiasmus: Nun quid, o Euloge, arbitraris me suum Zoilum?

Eulogus: Scio te mihi patrocinatedum fuisse apud quendam virum illustrissimum, ideo non est quod arbitreris me tale quid de te suspicari.

Enthusiasmus: Dicas ergo, confidenter, quidnam sentias.

Eulogus: Non possum non tibi placere, quandoquidem tanto ardore me hac de re disserentem audire cupis. Sed antequam id agrediar, rogo vos, ne hoc meum philosophari in sinistram partem rapiatis.

Aeschyntilus: Quomodo vero? Nemo est qui non nisi in optimam accepturus sit partem.

Eulogus: Quaestio: an ipsa anima separata patiatur, non videtur mihi difficilis et pace tua dixero, Aeschyntile, eam naturaliter posse probari, passioni esse obnoxiam, praesuppositis tamen quibusdam. Quaedam nimirum habere principium quaedam non, ut sunt principia, quae cum talia sint, se prius nil habent, sed sunt causa omnium secundum philosophum. Itaque anima separata aut est principium ipsum aut principiatum. Si principium, ergo est causa caeterarum animarum, quod est impossibile (loquor hic de principio, in quantum principio, scio enim animam in corpore, principium formale motus, quietis et caetera, sed loquor de separata, haec debet esse principium, si est, ut sui similia producat sicut enim materia in materias et forma in formas se diffundit; sic anima separata in animas separatas, ratione principii.) Ita enim essent quasi infinita rerum principia. Nam singulae species haberent singula principia ideoque duntaxat in intelligentiis darentur, secundum Aristotelem 12. Metaphysica 47 aut 55 principia, quia tot sunt diversae intelligentiarum species, ut inferius patebit. Si principiatum, ergo anima erit passioni subiecta, siquidem principium est principiatum principium, quemadmodum actio passionis actio.

Aeschyntilus: Miror qua ratione id fieri possit, cum anima sit immaterialis.

Eulogus: Imo apud Psellum si daemones dicuntur corporei, non video cur anima sit immaterialis, nisi forte sic nuncupetur, quia subtilior in daemonibus sit materia.

Aeschyntilus: Legistine tu, Ariste, haec sic haberi apud Psellum?

Aristus: Legi et a fide dignis intellexi daemonicum corpus ad sensum tactus lubricum aliquid visum fuisse.

Aeschyntilus: Esto. Mihi vero non satis videor posse eius passionem assequi.

Eulogus: Vulgato exemplo huius rei difficultas poterit exprimi. Videmus enim, dum anima in corpore existit, corpus pati, quam primum corpore soluta fuerit, corpus nulla passione affici.

Enthusiasmus: Quemadmodum corpus absque anima non patitur, sic anima absque corpore.

Eulogus: Enthusiasme, non bene convertis. Anima enim est principium, a quo corpus movetur, sed principii natura haec est, ut principium principiet et se non ex alio, alioquin non est principium. Quod autem sit principium motus in corpore organico, paret ex Aristotele solutum ergo a principiato, etsi solvatur actus respectu corporis, non ideo potentia solvitur, quae et respectu sui et aliorum, animae inest.

Aeschyntilus: Si anima separata est actus et potentia sequitur quod materia et forma sint idem principium.

Eulogus: Anima separata est actus sui ipsius potentiam habens ad se ipsum et ad alia non distinctam, sed coniunctam; materia vero semper est potentia alia et diversa ab actu; purus ergo actus semper est idem cum sua potentia.

Enthusiasmus: Poterisne, o Euloge, aliquo exemplo Sacrae Scripturae id probare?

Eulogus: Quid ni? Habes exemplum de Lazaro et divite², item de ultimo iudicio³.

Enthusiasmus: Alterum est parabolice dictum, alterum de resurrectione. Tum vero, animae erunt coniunctae et non separatae.

Eulogus: Aut illa parabola est vera aut falsa. Si falsa Euangelio non est credendum, si vera ergo patiuntur. De resurrectione vero animarum et corporum scias, quod tum non sic patientur, ut in praesenti coniunctione. »Non enim nubent« et caetera (ut dicit Dominus) sed erunt sicut angeli Dei. Et si forte desideras apertum exemplum, habes patres in limbo sine corpore et corruptibili et incorruptibili⁴.

Aristus: Eulogus certe mihi placet, concludit enim.

Aeschyntilus: Quomodo concludit? Nihil minus.

Eulogus: Quemadmodum haec sensibilia patiuntur sensibiliter, sic insensibilia insensibiliter; nec est quicquam in sensibilibus, quod non sit in insensibilibus, sed praestantiori et nobiliori modo.

Enthusiasmus: Gratissimus venisti, mi Amyme, accumbe obsecro et digneris de arduo proposito Aeschyntilum ac Eulogum concertantes patienter audire. At Euloge, obsecro, in gratiam Amymi, quomodo probas animae separatae passionem?

Eulogus: Quasi evenit quod concoeperam ac idipsum saepius Aristum mihi amicissimum dicere solitum adverti; nempe, omnem comparisonem, aemulationem et disputationem odiosam esse. Porro, quid vobis proderit, si in me multorum conflavero odio et mihi sane plurimum oberit? Aeschyntilum reprehendere non audeo, qui plurimum pollet autoritate et eruditione apud Iovem, cuius indignationem subire nollem. Ideo malo abstinere a disputationibus in primis autem, cum longe me doctiores adsint.

Enthusiasmus: Antea quoque tali praefatione utebaris, audisti eorum neminem hic esse qui te non amet atque diligat. Pergite, igitur, tu et Aeschyntilus praesens institutum tractare caeteri auditores sunt.

Eulogus: Si ita est, pergam et omnem sive angelorum sive daemonum sive animarum spiritum passioni obnoxium esse, in hunc modum deducam. Spiritus ipse aut unus est aut plures. Unus esse non potest, quia aufertur differentia. Si plures sunt aut finiti aut infiniti. Infiniti licet, quo ad nos, non autem quo ad naturam. Si finiti aut ab infinitis mediate pendent aut imediate. Non hoc modo, quia differentes; si autem mediate aut ratione esse aut non esse. Non ratione esse propter unitatem. Si vero ratione non esse, tunc datur respectus actionis et passionis, quae opponuntur relative. Ergo, omnes spiritus patiuntur et per consequens, anima.

Amymus: O Euloge, usque ad distinctionem mediati atque immediati bene pergebas, sed reliquus processus non quadrat. Appellas praeterea animam separatam spiritum, quod est falsum. In Sacris enim Litteris ventum significat proprie quo sit, ut nec genus sit, ut tu videris innuere.

Eulogus: Licet tuum non erat, mi Amyme, meum sermonem reprehendere, sed Aeschyntilo potius haec incumbere oppugnandi

provincia. Ego tamen ostendam, me bona coacervatione continuasse probationem et animam separatam esse, variis Scripturae locis suo loco declarabo. Vereor autem, te non satis intellexisse.

Aeschyntilus: Mi Euloge, si omnis passio fiat per contactum, non video quomodo eam animae separatae attribuas et ni fallor actionem et passionem ais in praedicamento relationis. Id mihi pariter non videtur. Nam iure passio est in qualitate.

Eulogus: Miror Aeschyntile, quod de contactu loquaris. Quandoquidem hoc diverticulum sustuleram, dum dicerem animam passibilem separatam et non coniunctam. Actionem vero et passionem in praedicamento non qualitates, sed relationis esse affirmo, ut suo loco patebit. Caeterum video neminem ex vobis animi mei sententiam intellexisse; omnes quidem loquimini, sed servatis ordinem initio institutum nullum, vagamini alteri in spiritu et distinctione mediati ad immediatum, alter in praedicamentis ad propositum vero nil dicitis.

Aeschyntilus: Ego vero sum satis certus nullam passionem fieri nisi per contactum et cum anima nec ossa habeat, nec carnem, nec quicquam horum quae sensui subiciuntur, passionem non recipit. Alias esse harmonia, quod secundum Platonem non potest assignari, dicit enim animam ad numerum concentu quodam esse compositam.

Eulogus: Non omnis passio fit per contactum, ut superius memini, quare illa tua maior non constat. Animam vero secundum Platonem e numeris harmonicis constructam nemo non videt. Concedit enim in ea septenariam numerorum harmoniam compositorum proportione, licet in Phaedone Aristoxeni harmoniam, musicam illam Socrates refutat. Quam nec ego admitto, ut patebit.

Enthusiasmus: Täge, arrige aures et ausculta. Aeschyntilus certe philosophatur et doctissime instat in Eulogo vero nil aliud animadverto nisi theologicam quandam phrasin, id est, barbariem.

Tägas: Atque tu Enthusiasme, ausculta. Aeschyntilus Eulogum (ut ego percipio) non intelligit. Eulogus enim in abstractis et separatis versatur, hoc est, in sublimi illa contemplandi philosophia. Aeschyntilus vero in sensibilibus et compositis iacet atque in illis oberrat. Dicit enim, per contactum fieri passionem duntaxat, cum tamen affectus ipsi longe intensiorem passionem efficiant, quae non

fit per contactum, sicut habetur in specie qualitatis de passione. Tandem ait actionem et passionem non esse in praedicamento relationis, quod est contra omnes logicos. Omnes enim respectus, praesertim secundum esse, non possunt esse, nisi in relatione. At ille forte motus specie illa qualitatis dixit, verum ne illa quidem est in qualitate, quia designat tantum eas voces, quae sub illa significatione qualitati conveniunt, sed est ipsa qualitas. Porro, cum quaeritur de voce qualitatis passioni subiectae, tum aut de qualitate aut de passione oritur quaestio. Si de qualitate, non est docti dicere qualitatem esse in qualitate, quo admodum docendi, id enim quod in aliquo est, debet esse angustius, nisi forte de identica praedicatione loquaris, quae nil docet, sed est repetitio principii a logicis, velut inutilis reiecta et quae ignorantiae causam reddit. Si vero de passione fit quaestio, tum certum est, passionem esse in relatione. Ea enim non potest esse sine actione, nec alterum horum definiri, nisi per alterum. Qua propter nunquam poterit Aeschylus hoc defendere, etiamsi mille quaerat diverticula. Praeterea mihi quoque visus est in harmonia nonnihil erroris commisisse, ubi negabat secundum Platonem harmoniam esse ipsam animam, quamvis in eo bene dixerit, quod id Plato negaverit, sed non absolute. Socrates enim in Phaedone opinionem illam de harmonia musica, quam Aristoxenus putabat, confutat. Ideo autem harmoniam mentalem non negat, de qua spero Eulogum mentionem facturum.

Eulogus: Non dubito viri praestantissimi, de vestra eminentissima eruditione, sed cum haec sint extra professionem vestram et quasi hactenus ab omnibus intacta, non excandescatis, oro. Dicam enim, quod sentio vos nimirum haec alta non capere. Quo fit, ut vobiscum hac de re conferre, nihil sit aliud quam tempus inutiliter terere. Proinde licet haec cum Eubulo praesente tractare, dabo enim operam, ut qua poterunt diligentia excutiantur et ad singulas vestras opiniones suo loco respondeatur. Scio enim Eubulum in ea re feliciter exercitatum, nil praetermissurum, quod praesens negotium concernet. Heus Eubule, si memor es eorum quae in Symposio sunt tractata, precor conferamus invicem ac quid sit sentiendum in hac quaestione determinemus, ne Enthusiasmus nos ignaros esse concionetur.

Eubulus: Iubeas, nihil non in tuam gratiam sum facturus. Singula diligenter perpendam, prout gesta sunt ac in rebus dubiis me opponam, ut res eo certior et dilucidior sit. Tu ergo felix incipe.

Eulogus: At hoc ipsum est, quod ex te cupiebam, adverte igitur diligenter. Enthusiasmus ille, si humanam hanc societatem spectes et communem modum apprehendendi, (de te enim non loquor) arduam mihi proposuit disputationem de ipsa nimirum animae separatae passione. Vulgata enim opinio philosophorum, videtur eam impassibilem concludere. Aufert siquidem tam virtutes, quam spiritus, naturales, vitales atque animales. Quare et Aristoteles et Galenus cessabunt rixari, hic namque in epate, ille vero in corde radicari motionem humorum, non poterit defendere; quandoquidem nec hepar, nec cor, nec arterias, nec venas, quibus median-tibus id fieri solet, nec quicquam organici in ea admittat. Purum enim actum, nulli corruptioni aut generationi obnoxium, omni potentia et transmutatione carentem, tuetur.

Eubulus: Sane vel eo gravius est disputatio, quod nemo ex philosophis hactenus de separata anima instituit tractationem et quod sciam, nec theologi hac de re disseruerunt. Aut enim de anima ut insita est corpori humano aut ut in extremo iudicio cum corpore resurrectura, tractarunt. Tu igitur, Euloge, tibi magnum onus impositum merito scias.

Eulogus: Ais nullum philosophorum hac de re habuisse propositum, id verum esse non dubites. Quotquot enim de anima tractarunt, id praestare sic visi sunt, ut corporibus animatis insita esset. Pythagoras enim harmoniam, Plato in Timeo et omnes Academici essentiam intellectilem, mobilem, ad numerum concentu quodam compositam, sese moventem, e duplici essentia individua atque dividua effectam; Aristoteles initium, quo vivimus, sentimus, movemur ac primo intelligimus seu ἐν τε ἀλλέ χεῖρα id est, actum primum corporis organici, vitam potestate habentis; Hippocrates spiritum tenuem, Galenus de animi morum et corporeae temperationis consecutione, ipsam corporis temperationem e quattuor elementis certa proportione concretam, Heraclitus lucem, Democritus spiritum ex atomis compositum, Aconomius Hypereus igneum vigorem, Parmenides de terra et igne, Zeno et omnes Stoici ignem in nobis situm et voluntarium, Epicurus ex aere et igne seu voluptatem et dolorem

corporis. Omnes enim animi et voluptates et dolores ad corporis et voluptas et dolores pertinere voluit. Unde manifeste constat, mi Eubule, de separata anima nullum philosophorum peculiarem instituisse tractatum.

Eubulus: Occurrit in hac tua enumeratione doctissimus ille vir Aeschyntilus, qui, ni fallor, ex Platonis sententia negabat animam esse harmoniam, tu autem visus es affirmare, sed quomodo affirmes, non patet definitio enim Platonis non tuam, quin potius Aeschyntili sententiam tuetur.

Eulogus: Mi Eubule, recte facis, quod mihi illud ipsum in memoriam revocaveris. Videtur enim ille bene dixisse. Siquidem harmoniam intellexit proportionem musicam, quam et Aristoxenus putabat talem harmoniam in *Phaedone* Socrates refutat. Ego vero cum dixi Platonem animam ipsam harmoniam appellare, seu e numeris harmonicis constructam, non quod musica constet harmonia, uti Aristoxenus putabat, sed quod magnum in actionibus suis ordinem et rationem servet, more interpretum asseveravi, quod ipse quoque Plato insinuat, cum e duplici essentia (quam Craterem vocat) Deum effecisse adhibita septenaria numerorum harmonia compositorum proportionem asserit.

Eubulus: Praeterea tuae conclusioni adversatur Cicero *1. Tusculana*, inquit, enim (Stoicorum sententia) diu mansuros animos, cum corpore excesserint, sed non semper et alibi animi motus sempiternos⁵. Atque *Somnio Scipionis* in haec verba: »Eorum animos, qui se corporis voluptatibus dederunt earumque se quasi ministros praebuerunt impulsuque libidinum voluptatibus oboedientium, Deorum et hominum iura violarunt, corporibus elapsos circa terram ipsam volutari, nec in hunc locum caelestem, id est, caelum, nisi multis exagitatis saeculis, reverti.« Unde philosophos olim de separata anima et eius passione disseruisse apparet.⁶

Eulogus: Acute profecto meam sententiam infringere conaris, sed paulo diligentius adverte oro. Veram animae passionem hactenus nulla demonstratio enuntiavit, opiniones quidem probabiles plerique e quorum numero et haec Stoicorum sententia est, adferebant; at omnes, rationes depromptas ab effectibus seu actionibus compositi, arbitrabantur enim, animos perinde ac corpora torqueri, licet diverso et subiecto et obiecto. Attamen longe est alia animae

separatae passio, quae demonstratione constat atque illam ipsam nos venamur, ut in sequentibus patebit, quam nullus philosophorum cognovit, nihilominus eorum fundamentis edoceri poterit.

Eubulus: Polliceris te primum hanc passionum diversitatem ostensurum, ego vero non praetermittam atque advertam in te diligenter.

Eulogus: Rem mihi gratam facies ac si quid evanuerit, tu refricueris. At ne circa id nunc immorari videamur prosequamur nostri instituti statum. Nec est quod arbitreris me de immortalitate animae disputaturum an immortalis sit, an separari possit, an iuncta corpori patiat, sed, an separata et quomodo patiat. Quod cum veteres intactum reliquerint, difficile erit attentare. An in te tam gravi, tam magna, ut Pici verbis utar, tenui ingenio exiguaque doctrina adolescentem hominem defecisse, venia potius dignum erit quam accusatione⁷. Quin et iuxta poetam, si deficiant vires, audacia certe laus erit.⁸ Et in magnis voluisse sat est. Qua propter, etiamsi sacri eloquii apertum testimonium habeamus de patribus in limbo, de divite et Lazaro, de extremo iudicio atque credamus Euangelio malos nimirum in ignem aeternum, bonos vero in vitam aeternam ituros (quorum alterum ante resurrectionem separate, revera et secundum parabolam, alterum post resurrectionem, omni mutatione remota, passioni subicitur) sublimior tamen philosophandi contemplandique otio addictus rem intrepidus aggrediar. Ac primum quidem istud confidenter dicam, quod omnis sive angelorum sive daemonum sive animarum spiritus passioni sit subiectus.

Eubulus: Antequam progrediaris, memento negasse Amyum, spiritus proprie dici de animabus et caetera, quare tibi incubit, id aut refutare aut concedere.

Eulogus: Non me latet, mi Eubule, saepenumero Sacras Litteras anima pro ipsa vita uti, ut »animam eius non tangas«, »non interficiamus animam eius«⁹, »animam occidere non possunt«¹⁰. Item, pro homine vivente, edente, bibente, dormiente, faciente aliquid; unde et Paulus vocat hunc »animalem hominem«¹¹ ut, »dilatavit animam suam infernus«¹². Item pro voluntate vel animo. Psalmus 6., ut erudiret principes suos in anima sua¹³. Pro nausea, pro pecoribus et iumentis. [Gen.c.1, c.12, c.49], pro persona hominis, Hebraico tropo, ut omnis anima potestatibus sit subiecta pro corpore, ut homo pol-

lulus anima pro hominibus viventibus Hebraeorum more, ut da mihi animas pro ipsa anima, ut emisit spiritum. Unde facile papet diversas significationes ipsius haberi in Sacris Litteris. Quo sit, ut quia multa nomina animae ita sunt connexa, ut alterum pro altero apud theologos saepe usurpetur, ea quoque variis nominibus ob diversos respectus soleat nuncupari. Dicitur enim anima, quia corpus animat et vivificat, mens quia recolit; animus dum vult, ratio dum iudicat recte, spiritus dum spirat vel quia spiritualem naturam habet, sensus dum sentit, memoria dum recordatur, voluntas dum consentit. Dicitur item, quasi sine sanguine vel quod vitam tribuat vel quasi ἄνεμος id est, ventus, quod spiritus sit (ut in libello theologico habetur). At non ideo Amymus ipsas animas improprie spiritus nuncupari recte dicit. Spiritum enim hominis theologo appellant, qui potest separari et a corpore et a sanguine, ut illic: »In manus tuas commendo spiritum meum.«¹⁴ Hic proprie, an improprie, anima spiritus appellatur, tuum esto iudicium.

Eubulus: Iam primum sane video Amymum non parum erroris commisisse. Ego quoque legi apud theologos spiritus ad ea referri, quae supra naturam sunt, ut Isaia: »Anima mea desiderat te in nocte,«¹⁵ et caetera, sed et in spiritu meo, in praecordiis meis et caetera. Quomodo igitur Amymus potuit dicere animas, angelos et daemones non esse spiritus, cum et de angelis expressum habemus in Psalmis textum: »Qui facis angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem«¹⁶ et de daemonibus ad Ephesios: »Iuxta principem cui potestas est aeris, qui est, spiritus in filiis contumacibus.«¹⁷ Item: »Invasit Saul spiritus nequam, dum immundus spiritus exierit ab homine.«¹⁸ et caetera. Adsunt septem spiritus nequiores et de anima, ut: »Potestatem habeo ponendi spiritum vel animam«¹⁹. Spiritus revertetur ad Deum. »Auferes spiritum eorum ut deficient.«²⁰ Multa sunt, mi Euloge, quae in tuam sententiam adduci possent atque id non improprie, sed potius magis proprie. Spiritus enim cum nulli adeo conveniat ac Deo, qui est virtus Dei, omnium vivificatrix, altrix, fotrix et consummatrice, cuius solius afflatu sit, ut Deum et cognoscamus et amemus similesque tandem illi evadamus et idem sit spiritus Dei ac spiritus Christi et spiritus eius qui *Iesum* suscitavit a mortuis, utique hominibus potius conveniet atque corporeae alicui naturae, veluti filiis Dei adoptivis, propinquioribus Deo. Unde spiritus non

Patri et Filio, sed omni rationali creaturae et animae congruit. Hic mihi occurrit, mi Euloge, ille qui Amymi sententiam spiraculo vitae roborare voluit et nihil minus fecit. Legimus enim apud theologos ac in eo libello expressus textus talis habetur. Cum dicitur anima esse deiforme spiraculum vitae, tunc haec descriptio sumitur a Genesi 2. et datur secundum quod anima comparatur ad Deum, prout non ex traduce vel seminali ratione propagatur, sed a Deo corpori creando infunditur et infundendo creatur et caetera. Videat hic ille Alogus suum spiraculum et Amymus profundae eruditionis vir, qua ratione anima spiritus sit aut non sit. Haec et tu, mi Euloge, commodius potuisses praestare, sed ignosce, quod tuum onus susceperim.

Eulogus: Imo tibi ago immensas gratias, pro tuo in me candore. Addam tamen et ego Philonis, gravissimi auctoris, sententiam hac de re, sic dicentem in eo libro quem inscripsit de eo quod deterius potiori insidiari soleat. Multis enim in locis lex essentiam animae pronunciat sanguinem loquens diserte. Nam anima omnis carnis sanguis est. Sed quando primum absoluta caeli terraeque ac mediorum elementorum fabrica hominem fingeat conditor animalium, dicitur inspirasse in faciem eius spiritum vitae eumque factum animam vitae. Iam tum docente nos Scriptura spiritum esse animae essentiam. Id paulo post declarat Philo hoc pacto: »Quid igitur, dicendum singuli nostrum, sicut ratio numerorum postulat, duo sumus per accidens, animal simul et homo. Horum utrunque cognatam vim sortitum est in anima, alter est vitalis, qua vivimus, alter rationalis per quam sumus rationis participes. Vitalem habent et bruta rationali carent. Reguntur autem a Deo, qui rationis fons est antiquissimus. Ergo, vis illa quae nobis cum brutis est communis essentiam accepit sanguinem. At illa quae a rationali fonte demanat spiritus est, non aer motus, sed character quidam et effigies divinae potentiae, quam Moyses nomine proprio vocat imaginem.«²¹ Haec Philo ad verbum.

Unde manifeste apparet, an anima sit spiritus proprie vel improprie, an denique sit ventus hoc in loco spiraculum, ut ille philosophaster aiebat. Inde tractatur abunde satis a Philone in libro *Allegotarum*, quae recitare supervacuum putavi, quandoquidem is locus istis percognitus esse deberet.

Eubulus: Aperte Philo docet animam rationalem essentialiter esse spiritum evertens Amymi sententiam, quod loco a te citato

elegantissime patet. Tria, inquit, hic requiruntur, quod inspirat, quod inspirationem capit et quod ex inspiratione accipitur. Deus inspirat, mens inspirationem capit, spiritus ex inspiratione accipitur. Evertit quodque venti significationem, quia (inquit) non aer motus, quod et in alio loco his verbis confirmat: »Haec quidem vox inspiravit idem valet quod afflavit animavitque in anima. Absit enim ut putemus Deum oris aut narium instrumentis usum ad inspirandum. Expers enim qualitatis Deus, tantum abest a forma humana, quin et aliud arcanum hae voces proferunt et caetera.«²² Hinc quid senserint et quomodo Amymus cum quodam alio de spiritu videant. Scio ego sane, mi Euloge, te bene sentisse idque et rationibus et autoritate satis tueri. Etiam si illam tuam coacervationem Alogus ille extra propositum dixerit, non est quod cures. Iam si quidem oculis cernere poterit, qua sapientia id effutiverit an ad propositum vel extra propositum sit. Equidem ego facile crediderim eum nec quid coacervatio sit intelligere, tantum abest ut confutare sciat. Proinde Sara consulto in illo sterilis est, quandoquidem Agar non agnoverit. Sed Agar quomodo agnosceret, si non habet? Quo circa eleganter Philo his verbis ait: »Qui prudentiam discit a praeceptoribus Agarem non reiciet. Est enim valde necessaria primarum disciplinarum possessio. Quod si quis paratus est certamina pro virtute subire et indefessus exercet se continue, duas matronas ducet, quarum altera ex re Lia nomen habet, altera Coti similis Rachela vocatur et caetera.«²³ Hoc faciat Alogus et vivet.

Eulogus: Alogum, mi Ebule, non est quod reprehendas, quod enim facit ἀληθεία ipsa suadet et φιλαυτία matre agit. Sed Amymum vere doctrinae rarae et magni ingenii virum scias cuius olim discipulus egi, quem non arbitror serio ea dixisse. Est enim homo facetus et magnae experientiae, cum flentibus novit flere, cum ridentibus ridere excipit homines primo aspectu in Metoposcopicis versatissimus et pro diversitate geniorum se accommodare potest diversis. Ideo tum non erat locus respondendi. Ut autem scias Amymum recte sensisse, sic accipito, spiritus aliquando dicitur ventus, ut habes Iohannis 3.²⁴ Imo in Hebraeo non discernitur Spiritus a vento, nam vocabulum *ruab* promiscue in Scripturis usurpatur pro vento, spiritu, flatu sive halitu, ut in Isaia Spiritus vel flatus pluviae inundantis.²⁵ Genesis 1. »Spiritus ferebatur super aquas.«²⁶ Propheta:

»Spiritu violento conteret eos.« Sic Hebraei unico hoc vocabulo ventum et spiritum exprimunt, non quod spiritus et ventus sint idem, sed uno vocabulo designantur, sicut apud Latinos aequivoca vocabula. Ubi ergo Scriptura habet *ruab* ventum et spiritum possumus intelligere et e contra. Atque ista fuit ratio, mi Eubule, qua Amymus contra me sensisse visus est. Venerandus itaque est et suspiciendus nec dubites eum saepius Alexandri in libro De motu cordis vidisse definitionem: »Anima est substantia incorporea, intellectualis, illuminationis capax, ultima revelatione perceptiva, quia mediantibus angelis percipit et inter omnes creaturas immediate post angelos, illuminationis divinae est perceptiva unde quoque passio animae intelligenti satis perspecta esse potest et animam spiritum, quod Seneca tuetur nominari.

Eubulus: Mihi placet hic tuus animus, quod victos adversarios tam amice et defendas et complectaris. Sed nondum respondisti Amymo, an spiritus ut genus, in tuo proposito sit.

BIJEŠKE

¹ conf. »Haec ipsa de vita et moribus et de expetendis fugiendisque rebus illi simpliciter pecudis enim et hominis idem bonum esse censent;« M. T. Cicero: *Academicorum reliquiae cum Luculo* (edidit Otto Plasberg), Lipsiae, In aedibus B. G. Teubneri, 1908 – Academicus, 1, 2, 6

² conf. Lc. 16, 19–31

³ conf. Matth. 25, 31–46; Lc. 21, 25–33; 1. Cor. 15

⁴ conf. Lc. 20, 21–38; Matth. 22, 30–33; Mc. 12, 24–27

⁵ conf. »Eorum animi qui se corporis voluptatibus dederunt earumque se quasi ministros praebuerunt impulsuque libidinum voluptatibus oboedientium deorum et hominum iura violaverunt corporibus elapsi circa terram ipsam volutantur, nec huc in locum, nisi multis exagitati saeculis revertuntur.« M. T. Cicero: *De re publica*; VI, 29 – (recognovit C. F. W. Muller), Lipsiae, In aedibus B. G. Teubneri, 1890

⁷ Picus Mirandulanus, Ioannes: *Opera omnia*; t.I (Oratio de hominis dignitate), Torino 1971, p. 324

- ⁸ conf. »Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.« P. Ovidius Naso:
Epistolae ex Ponto, 3,4,79
- ⁹ conf. Gen. 37,21
- ¹⁰ conf. Matth.10,28
- ¹¹ conf. 1.Cor. 2,14
- ¹² conf.Is. 5, 14
- ¹³ Numerus psalmi erratus;conf.Ps.106(106),22
- ¹⁴ conf. Lc. 23,46
- ¹⁵ conf. Is. 26,9
- ¹⁶ conf. Ps. 104(103),4
- ¹⁷ Eph.2,2–3
- ¹⁸ conf. (Sam)Reg.1. 16,14–23
- ¹⁹ conf. Ioan.10,18
- ²⁰ conf. Ps.104 (103),29
- ²¹ Philonis Alexandrini: *Opera quae supersunt*; vol.I. (quod deterius potiori insidiari soleat), Berolini 1896. /reprint Berlin,1962/, p.276–277
- ²² ibidem (Legum allegoriarum), p.70
- ²³ ibidem (De congressu eruditionis gratia),p.77
- ²⁴ conf. Ioann.3,8
- ²⁵ conf. Is.8,7–8
- ²⁶ conf. Gen.1,2

Encyclopaediae seu orbis disciplinarum, tom sacrarum quom prophanarum, Epistemon, Eulogus seu de anima separata..., Basileae, 1559.